

tis, religione & indole ab omnibus orbis gentibus divisi, originem & historiam, sacrorum æque ac gentis suæ, non aliam agnoscunt, quam quæ in V. T. monumentis traditur, cuius summa apud ipsos est autoritas, irrefragabilis veritas, ac ea, quam præ se fert, antiquitas, quod tanto etiam studio sartum tectum conservare allaborarunt, ut nec Christus & Apostoli, vel negligentiæ, vel malæ fidei arguere hac parte eos potuerint. Christiana vero ecclesia, quæ manu quasi traditum hoc *κειμήλιον* a Synagoga Judaica summa cum veneratione accepit, non colluvies nebulonum, aut imperitorum hominum, quibus minus tuta sit habenda fides, sed cœtus est amplissimus, per universum pariter orbem longe lateque expansus, tot pios, probos, eruditos quoque ac sapientes, prudentes denique & frugi homines complexus, quibus omnem denegare fidem, perquam esset temerarium. At illa a primis inde incunabulis suis non modo Scripturam pro divina recepit, sed & eandem sapientiæ cœlestis promam condam, ac salutis suæ proram & puppim constituit, pro illa dimicavit, in illa haurienda, veneranda, amplectenda, tota semper fuit. Jam quæ fides Historica antiquitati non adeo amplæ in rebus facti debetur, eam utrique denegare ecclesiæ, & prisæ Judaicæ, & subsecutæ Christianæ, tot seculorum tractu æqualiter sibi respondenti, *ἄλογον* prorsus ac inhumatum foret. Accedit

*δ) martyrum
objignatio:*

4. *constans sanctorum Martyrum ob-signatio*, qui pro Scripturæ veritate & divina origine, vitam profundere, nulli dubitarunt. Quis sanæ mentis persuaderi sibi patiatur, tot gravissimorum prudentissimorumque hominum myriadas, tot piarum fœminarum & virginum, quin & teneriorum sæpe puerorum catervas, horrendos carceris squalores, tota convitiorum plaustra, & exquisitos adeo suppliciorum cruciatus, animo tam præsenti, zelo tam sobrio & pio, & invicta constantia subire, omnem porro fortunarum, necessariorum, valetudinis, & vitae denique jacturam, in lucro ponere potuisse, nisi hujus codicis autoritate standum & cadendum sibi esse, divina prorsus *πληροφορίας* apud animum suum fuissent convicti? Quorum tam luculentum, tam constans, tam ineluctabile testimonium, nulla sane elidi potest sophistificatione.

ε) perennans

5. *cœtus illius, qui scriptorum Biblicorum custos est, tum ἐ^τ ipsius*